



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

20. Et quid de Clericis in tali casu cum de malefactoribus conqueruntur in causa sanguinis? an irregularitatem contrahant? Quid de ijs, quibus ex officio accusare incumbit, ut sunt Fiscales, Vigiles, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**



telligenda est de criminibus, quæ ratione frequentia inferunt commune damnum Reipub: ut quando quis sæpè furatur, occidit, hæc enim non ita immediatè & directè nocent Reipub: & faciliùs aliis viis corriguntur: sed procedunt dicta in criminibus exceptis, ut læsæ Majestatis, perduellionis, schismatis, expilationis ærarii publici, pravorum dogmatum, etiam si occulta prorsus sint, & in iudicio probari non possint, quia ut dicemus *tit. seq. n. 14.* accusatio tua in tali casu non tam tendit in punitionem delicti, quam ad præcavendum damnum Reipub: aut communitalis: cujus bonum præponderat, bono privato famæ delinquentis occulti.

20. ASSERIMUS præterea quemlibet teneri accusare, aut reum denunciare, quando, id est, necessarium ad impediendum grave malum tertio imminens, & sine magno damno accusator præstare potest; quia Lex naturæ, & charitatis tali casu urget: non tantùm secularem, sed etiam Clericum & Religiosum esto reus accusandus foret de capitali crimine, ut benè *Caitanus apud Sanch: lib. 6. consil. cap. 2.*



*dub. 10.* cui jus Ecclesiasticum certè non derogat cum irregularitatem Clerico imponit, qui morti alicuius causam dederit, & patet ex *cap. Prælati de homicidio in 6.* idemq; est non obstante sigillo secreti naturalis, quia etiam secretum naturale contra bonum commune non obligat: imò esto iuraveris secretum, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. *cap. quando de jur. & ut habet reg. 58. jur. in 6.* iuramentum præstitum contra bonos mores obligatorium non est: sed quantum ad Clericos, observare debent, ut cum de malefactoribus conqueruntur in causa sanguinis, id faciãt cum protestatione expressa se non intendere in vitam vel pœnam sanguinis, sed solum remedium malo comuni aut damno tertii aut etiam proprio (si in causa propria accusare velint) & compensationem injuriæ sibi illatæ. *cit. cap. Prælati de homicidio in 6.* De cæteris quibusdam personis, quales sunt Fiscales, vigiles, Custodes, & hujusmodi dubium non est; quin debitum accusandi habeãt, quando id necessarium est ad commune bonum: quia hi ex contractu promissio-



nis aut pacti obligationem iustitiæ in se  
susceperunt ad avertendum damnum per  
diligentem custodiam, accusationem, vel  
denunciationem.

21. VERUM an mortalem semper  
culpam contrahant huiusmodi, quando  
non denuntiant eos, qui contra leges hu-  
manas peccant v. gr. quando non denun-  
tiant deferentes arma certi generis, aut  
non solventis gabellas, item transferentes  
res prohibitas, ligna cædentes; piscantes,  
venantes, Respondet Navarrus in Man. cap.  
17. n. 122. in duobus saltem casibus excu-  
sari à noxa mortali. 1. quando id facientes  
advertunt facere extrema, aut necessitate  
gravi compulsos; v. gr. si qui ligna cædit  
id necessitate compellatur propter usum  
suæ familiæ; tunc officialis etiam juratus  
non peccat; huiusmodi non denuntians,  
quia lex humana non potest derogare  
præcepto charitatis. 2. quando delinquen-  
tes sunt consanguinei, cognati, vel affi-  
nes, aut etiam amicitiam arctam conjunctis  
qui leges huiusmodi condiderunt; quia  
hi casus intelliguntur excepti. Extra quos,  
qui ex præsumpta licentia contra statuta  
agunt